

propter respectum ad Dominum, vel Patrē, verūm *Gomez.* alique ibidem allegati *nu. 45.*, & 46. fenserunt, semper Patrem teneri corripere filios, eorumque delicta impedire, si possit, ita & Dominum respectu subditorum, etiam si non ad eorum vindictam subditi, aut filii essent commissuri delictum, quia non propter suum interesse tenentur subditos, & filios emendare, sed quia eos habent in potestate, & prohibere possunt, & quasi ex officio tenentur, & ita intelligit *tex. in c. quantæ de sent. excom. Abbas num. 7.*, ubi sequendo aliam lecturam, quod scilicet dolose non obviet, cum possit, secus verò si ex mera negligentia sine dolo, quod ex eo probat, quia cum in dicto *c. quantæ* agatur de incurrenda excommunicatione ob violentas manuum injectiones in Clericum, & hæc non incurrat nisi manus injectio fiat suadente diabolo, quod dolum importat, sequitur, quod tanto magis requiratur dolus in influente in Clerici percussione influxu merè negativo, non impediendo, non obstando; utrum verò in eo casu præsumatur dolus in non impediendo, dubitat ibi *Abbas*, & *Andreas Barbati* dicit, quod si non impediens ivit cum aggressore, tunc certè præsumitur *c. sicut dignum §. illi etiam de homicid.*, si verò casu fuit præsens multi negat præsumi dolum in non impediendo, licet *Abbas* inclinet in sententiam, quod præsumatur, ex *textu in eod. c. quantæ.*

29 Qui potest impedire commodè, ne aliqui errent in fide, putà ne hæreticus dogmatizet, vel publicè, vel privatè, ne alii conveniant ad eum audiendum, & similiter ne pravis doctrinis moralibus decipiantur, & in

errorem trahantur, & non impediatur, quantum potest, certò gravissimè peccat contra charitatem in re gravissima *c. 2. de hæreticis*, ubi *glos.* assignat discrimen inter crimen commissum, & committendum, nam in primò soli Prælati; in secundò omnes fideles, qui possunt, tenentur corrigere, & impedire, & ibid. *Barbosa num. 3.* ad quod etiam emanavit præceptum denuntiandi inquisitoribus *Farinac. q. 199. num. 35.*, *Carena de Sancto Offitio p. 2. tit. 9. num. 1. & seqq. 5.* ubi allegat illud *Deuteronomii c. 13. Vers. 6.* *cod. de hæreticis.*

30 Subditi non revelantes conjurationem in Principem, Patriæ proditionem, gravissimè puniuntur, quia non solum ex charitate, sed ex justitia tenentur, ut latè *Farinac. dicta q. 51. num. 54. & 55.*, & 69. per *tex. in l. quisquis §. id quod C. ad l. Juliam Majestatis*, quod etiam habet locum in aliis atrocioribus delictis, & videndus est *Farinac. ab eod. num. 69.*, & *seqq.*, ubi ad effectum infligendi pœnam istis omittentibus revelare conspirationem in Principem, vel Patriam, attendendum esse, num potuerint delictum probare, vel non; quia licet semper teneantur revelare, tamen non semper eandem pœnam mereantur, & *num. 79.* quod solum Subditi tenentur ex justitia crimen revelare, non subditi verò, tantum ex charitate, limita tamen in Confessario, qui in confessione novit à penitente proditionem imminere, vel etiam hæreticum dogmatistam, non enim debet omninò revelare, quia hoc non novit, ut homo, sed ut *Deus c. si Sacerdos de off. Ordin., c. Dilectus de excess. Prælat., c. Sacerdos de penit. d. 6. c. omnis de penit., & remis.*

ARTICULUS XXIII.

De Negligentia ad inferendam excommunicationem requisita.

Pro negligentia, excommunicari posse negligentem, est *tex. in c. Placuit xi. q. 3.*, ita & suspendi, sicuti, & degradari *c. dictum est dist. 81.*, & tetigimus supra *art. 15.*, in quo tamen examinavimus de Irregul. modo quod ad difficultatem controversatur est, an excommunicatio, cum sit pœ-

na medicinalis *c. inter hæc in fine 33. q. 2.*, *c. cum medicinalis de sent. excom. in 6.*, *Covaru. in c. Alma mater. p. 1. in principio num. 9. Sayr. de censur. lib. 1. c. 3. num.* Solum pro futuris culpis debeat ferri, vel etiam possit pro præteritis; nam in *c. Romana de sent. excom. in 6.* Pontifex videtur dicere, excommunicationem latam esse pro præterita culpa, tamen ut bene expli-

explicat *Barbosa ibid. num. 6.* lata fuit pro futura, quæ tamen habuit fundamentum in præterita, idèd quandoque excommunicatur Concubinari de præterito, sed nisi dimittat concubinam, excommunicatur fur, aut occultans bona, scripturas &c. quod est de præterito delicto patrato, sed nisi restituat, revelet &c. undè dictio (*Nisi*) importat delictum futurum negligentia, & omissionis, quæ negligentia, & ommissio in delicto præterito, vel etiam præterito, non potest cadere, ac propterea deficiente tali negligentia, excommunicatio est injusta, licet valida, ex pluribus allegatis per *Barbosam in c. Sacro nu. 5. de sent. excom.*, ratio est, quia ad excommunicationem incurrandam requiritur contumacia contra censuram; *Bellet. disquis. Clerical. tit. de favore clerical. canon. §. 4. num. 20.*, & *seqq.*, *Barbosa in d. c. Sacro sub num. 5. de sent. excom.*, & in *c. Romana num. 4. de sent. excom. in 6.*, & ex hoc canones prærequirunt monitionem *c. Sacra de sent. excom. c. omnes decime*, ubi *Barbosa num. 2. 16. q. 7.*, *Alterius de censuris disp. 1. lib. 4. c. 1. Vers. Probatur hæc opinio, & disp. 3. lib. 3. c. 1.*, & tandem *Trid. sess. 25. c. 3. de reformatione*, ibi præcedente saltem bina monitione, quæ contumacia dari non potest in delicto omninò præterito, vel præterito, sed tantum in futuro ex pluribus allegatis, discusso hinc indè articulo, *Barbosa in c. Repræbensibilis num. 3. 4.*, & 5. de *appellat.*, quod enim faciendum est, ab homine potest fieri, vel omitti, sicque omittendo, & negligendo contingit contumacia contra præceptum sub censura, de præterito verò, præterito, non contingit talis libertas, quæ solet definiri à Theologis (*indifferentia ad utrum libet*) ex quibus satis clarè colligitur, quod solum ferri debeat excommunicatio pro futuris culpis, sunt tamen aliqui *tex.*, qui videntur facere in contrarium, quorum solutio videnda est apud *Barbosam in d. c. Romana*, & magis firmatur ex definitione contumacia, quæ est ommissio eius, quod quis jubetur facere, *Sayrus de censur. lib. 2. c. 18. num. 15.*, & *lib. 5. c. xi. num. 16.*

2 Deinde excommunicatio, cum sit pœna medicinalis, ut dixi à principio, medicinalis hæc non potest prodesse ad tollendum delictum præteritum, nisi per futuram, & subsequenter pœnitentiam, vel ad præservandum, ne iterum in illud cadat, ad hoc ergo infligitur excommunicatio, vel ut ad pœni-

tentiam de præterito delicto inducat, vel ut à futuro præservet, ad quod *Sperell. decis. 48. sub num. 14. Vers. Ex hac enim omissione, & Vers. Et hic obiter*, notat monitionem ad hunc effectum, multum differre à citatione, quæ vocat citatum ad causam, at monitio fit, ut quis à cepto desistat, vel pareat &c. ut cogatur dimittere adulteram, restituere ablata, quam si non dimittat, nec ablata restituat, pro hac culpa futura in omittendo excommunicatur. Hinc est, quod excommunicatio numquam imponitur in vindictam, ut notat *Innocentius in c. 1. de excessibus Prælat.*, & facit illud *Mathei c. 18. relatum in c. Nemo q. 3. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

3 Quæ omnia benè colliguntur ex præcitate *c. Romana de sent. excom. in 6.* ibi, vel etiam pro commissis sub hac forma, si de illis infra tale tempus minimè satisfecerunt, proferre præsumant, nisi mora in exhibenda satisfactione præcesserit, ex quibus constat, quod excommunicatio imponitur solum propter negligentiam futuram radicatam, tamen per sepe in delicto præterito, vel præterito, *Bellet. disquis. Clerical. p. 1. tit. de favore cleric. can. §. 4. num. 26. Turrecrem. in c. Episcopi si sacerdotali xi. q. 3.*, ubi quod causa immediata est contumacia, mediata verò sunt alia crimina; Quod intelligitur de excommunicatione quæ est ab homine, & casu quo Judex negligeret hunc ordinem in ferenda excommunicatione, idèd non præmitteret monitionem, esset reus gravioris culpæ, quia proximum in re gravi læderet, adnotata per *Alterium de Censur. lib. 3. d. 3. c. 1. Vers. Id constat*, ubi in *vers. (solent autem)* resoluit pariter monitionem esse præmittendam, quando Judex procederet, ut privata persona, & tamquam pars ad defensionem suæ Jurisdictionis, licet non desint contrarium tenentes, *Bellet. disquis. Clerical. part. 1. tit. de favore clerical. canon. §. 4. num. 29.* pluribus ibi allegatis, quorum sententia potest habere locum in delicto notorio, ut quando quis injustè resistit Episcopo visitanti, ne Jure suo in visitatione utatur, licet etiam tunc Episcopus præcipiendo, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ex vi præcepti taliter facti, per aliquod tempus, etiam si breve assignatum ad desistendum ab impedimento, constituat in mora ipsum resistentem, & impediendum, sicque ille fiat negligens, & contumax, & quod

Judex tunc graviter delinqueret, considerat *Sperell. decis. 48. num. 14. Vers. (Adeò ut si Judex)* & est *tex. in c. Sacro de senten. excomm.*, ubi *Barbosa num. 9.*, *Ricciul. de jure personarum extra Eccl. lib. 4. c. 14. num. 33.*

4 Verùm multum discriminis est quando excommunicatio fertur pro delicto præterito, aut præsentis notorio, vel non notorio, nam si pro delicto notorio infligitur, non requiritur monitio, si verò pro non notorio, tunc requiritur monitio, quæ differentia colligitur, tum ex præcitate *c. Romana*, tum ex *c. Illud de Clerico excom.*, *c. Duo sunt dist. 96.*, *c. Cum apud 11. q. 3.*, *c. Quidam maligni 5. quest. 1.*, & ratio discriminis est, quia quando delictum est notorium, tunc sufficit negligentia commissa in non parendo præcepto, sibi à Judice facto, sub pœna excommunicationis, nec ulterior requiritur contumacia, aut negligentia, *Barbosa in c. Romana num. 9. de sent. excom. & num. 10.* Si verò delictum patratum, non sit notorium, quod tunc est, quando aliqua tergiversatione celari potest, cum de tali negligentia sufficienter non constat, ac propterea prærequiruntur monitiones, ad effectum, ut sufficiens inducatur negligentia, pro qua fertur excommunicatio, quod indicantur *glos. in d. c. Romana in Vers. Injusta*, ubi, & *Abbas num. 8.*, *Dominicus à S. Geminiano num. 3.*, & *Barbosa* latius explicat *num. 9. 10. 11.*, & licet ad incurrendam excommunicationem latam, ipso Jure à lege, non prærequiratur monitio, ad tradita per *Sperell. decis. 48. num. 54.*, tamen adhuc ad eam incurrendam, prærequiritur negligentia, & contumacia, non quidem ex vi monitionum resultans, sed ex ipsius legis cognitione: *Barbosa in c. Sacro num. 6. de sent. excom.*, qua data, tota negligentia stat, in non parendo legi præcipienti, aliquid sub *excom.*, ex quo sequitur, quod ignorantia Juris, & facti excuset ab incurfu, quia ubi est talis ignorantia, ibi deest contumacia, & negligentia, quod & diximus in principio hujus tractatus, quod scilicet, ille dicitur negligens, qui tenetur aliquid facere, vel non facere, & sciat se teneri, potest implere, & tamen omittit, e contra verò, qui nescit, aut non potest excusatur ab incurfu negligentia.

Quod idem militat in sententiis, & præceptis generalibus latis ab homine, quorum scientia sufficit, ad incurrendam contumaciam, & negligentiam.

5 Quandoque tamen, & ipsa lex præ-

quirit monitionem ad constituendam negligentiam, & contumaciam, ut in casu *Clement. Unica 5. fina. de statu Monach.*, ubi si visitatores monialium, quis impedire præsumperit, & monitus, non desistat ipso facto est excommunicatus; *Bonacina de cens. extra bullam disp. 2. q. 2. p. 4.*, & *Alterius de censuris lib. 3. d. 3. c. 1. Vers. Et hac de causa, Barbosa de potestate Episcopi alleg. 50. num. 225.*

6 Similem præmonitionem requirit *tex. in Clem. 1. de decimis*, ubi quod Religiosi non solventes, aut non permittentes solvi decimas, cui de Jure, requisiti, & moniti ab eo cujus interest, intra mensem à præmissis non desistant, vel intra duos menses non restituant Ecclesiæ damnificatæ, sint, & tandiu maneat suspensi ab officii administrationibus, & beneficiis, donec satisfecerint, vel si non habuerint officia, administrationes, aut beneficia, sint excommunicati, & *Bonacina de censuris extra bullam disp. 2. q. 8. p. 12. nu. 6.* resolvit unam requisitionem sufficere.

7 Dixi supra, quod non præmissa monitione ex qua sequatur negligentia, erit injusta excommunicatio, valida tamen ad allegata per *Felinum in d. c. Sacro num. 3.*, *Abbatem num. 9.*, *Gutierrez canonic. qq. lib. 1. c. 4. num. 4.*, *Gabriel. commun. opinion. lib. 2. tit. de citat. concl. 1. num. 155. 168.*, *Bellet. tit. de favore Clerical. canon. 5. 4. num. 42.*, licet aliquos habeat contradictores per eosdem allegatos, à qua regula generali excipiuntur aliqui casus, in quibus omissis monitionibus excommunicatio, non solum est injusta, sed nulla, eo quia specialiter sic in Jure decernitur, ut si feratur excommunicatio contra communicantes cum excommunicato, ut in *c. Statuimus de sent. excom. in 6.*, item si committatur causa Judici delegato cum clausula (*Præmissis monitionibus*) quia tunc est de forma; Item si omissis monitionibus tollatur defensio competens, *Navar. consil. 4. num. 3. ad finem de sent. excom.*, & alios plures enumerat casus *glos. in c. Præsentis in Vers. ad cautellam de sent. excom. in 6. Ricciul. tract. de Jure personarum extra Eccl. lib. 4. c. 66. num. 29. cum seqq.*

8 Notat distinctionem tamen *Sperellus dicta decis. 48. num. 56.*, quod scilicet si agatur de ferenda excommunicatione ab homine, si non præcedat monitio illa est injusta, sed valida, si verò agatur de declaratione excommunicationis latæ à Jure, si omittatur monitio, hæc erit omnino nulla; *Diana p. 10. trac. 12. resol.*

resol. 4., *Gabriel. de citat. concl. 1. num. 173.*, An autem requiratur ad validitatem declarationis; quod monitio exequatur personaliter, vel sufficiat ad domum habitationis, videatur *Sperell. dicta decis. 48. num. 34. Ciarlin. controvers. c. 164. num. 20.*, & *168. nu. 11. Pelerin. prax. Vicarii p. 4. sec. 6. à nu. 17. & seqq. Ridolfin. prax. p. 1. c. 14. num. 238. ubi n. 241.* sufficere ad domum si notitia sit certa, & indubitata, licet *Diana p. 10. trac. 12. resol. 4.* videatur sentire, semper requiri personaliter.

9 Difficultas superest, an ad constituendum in mora, & in negligentia necessariò, ut quis excommunicetur, vel declaretur excommunicatus, requiratur trina monitio, vel unica sufficiat, & distinguendum est, si negligentia sit notoria, sufficit illa monitio, quæ in præcepto continetur, si verò non sit notoria, sed aliqua tergiversatione celari possit, tunc ad Justitiam trina requiritur monitio, ad validitatem tamen unica sufficit, quæ in præcepto involvitur, ad allegata per *Barbosam in c. Romana num. 10. 11.*, & *21. de sent. excomm. in 6.*, & qualiter differat prima à secunda, & secunda à tertia monitione, ad hunc effectum ponit *Bellet. disquis. Clerical. de favore Clerical. can. 5. 4. num. 22.*

10 Hæc autem contumacia usquemodo dicta non sufficit, si sit levis, & venialis tantum, sed requiritur gravis, & quæ sit culpa lethalis, ut colligitur ex *Trid. sess. 25. c. 3. de reform.*, & notat *Sayrus de censur. lib. 1. c. 9. num. 2. 3. 4.*, ubi *num. 32.*, quod ista contumacia debet esse ob peccatum grave, & enorme, quod alio modo curari nequeat, & *lib. 5. c. xi. num. 16.*, notat, quod debeat esse gravis, non solum ex parte ipsius negligentis, sed etiam ex parte objecti, idest de re gravi, & *lib. 1. c. 9. num. 30.*, quod ad inferendam excommunicationem sufficiat negligentia, & contumacia, tam manifesta, quam præsumpta, quæ autem sit manifesta contumacia, & quæ præsumpta ibidem pluribus explicat idem auctor, quem videre poteris.

11 Limitatur tamen hæc regula de contumacia, præcedere debente excommunicationem ex vi monitorium in pluribus casibus. Primò, si periculum sit in mora; Secundò, quando delictum est commissum in præsentia Judicis, ut si delinquens percussit Clericum coram Judice; Tertio, si excommunicatio sit ipso facto à Jure imposita, intelligendo tamen cum moderationibus supra tactis, quo

ad declaratoriam, & de quibus limitationibus *Bellet. disquis. clerical. p. 1. de favore cleric. can. 5. 4. num. 37. 38. 39.*

12 Hanc negligentiam, & contumaciam, quam usque modo ostendimus, requiri ad ferendam excommunicationem, requiri etiam dicendum est ad incurrendam suspensionem, est *tex. clarus in c. Reprehensibilis de Appellat. Bellet. dicto 5. 4. num. 21.*

13 Verùm plures Doctores ex eo *c. Reprehensibilis*, notant suspensionem dupliciter ferri, vel scilicet tamquam medicina contra contumaciam, ad coercendum ipsum à delicto, vel si jam deliquit, ut à delicto rescipiscat, & tunc dicunt habere veram rationem censuræ, & ad eam incurrendam requiri negligentiam, & contumaciam contra censuram; Secundò modo ferri per modum pœnæ pro delicto scilicet præterito in vindictam, unde rescipiscat, vel non delinquens jam est suspensus, & si ad tempus, etiam si pœniteat, suspensio durat, fundatur hæc distinctio in ipso *tex.* (*ibi statuimus, ut nec Prælati*) nisi canonica communitio præmissa (*suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos*), & tunc se habet per modum censuræ medicinalis, sequitur littera (*nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat*), & tunc se habet per modum pœnæ, ad quam non requiritur communitio, quam distinctionem notavit, *Abbas in c. Sepè de appellat.*, *Suarez. de censuris disp. 28. sec. 5. sub num. 3.*, *Tamburinus in suis operibus moralibus lib. x. de censur. tract. 2. de suspensione cap. 1. immò Abbas in dicto c. Sepè num. 16.* singularem, & novam sententiam dicit attentari posse, nempe quod licet regula sit, quod per appellationem subsequenter post sententiam suspensionis absolute latæ, non suspendatur ipsa suspensio, juxta *tex. clarum in c. Is cui 5. Sanè de senten. excomm. in 6.*, qui loquitur de suspensione ab officio, & Ecclesiæ ingressu; tamen si suspensio lata sit per modum pœnæ, tunc non præcedat monitio; *Innocenc. in c. 1. de excessibus Prælatorum num. 3.*, & *in c. ad hæc quoniam de appellat.*, *Sanchez. aliique citand.*, tunc appellatio suspendat suspensionem, sicuti & cæteras pœnas, sicque dicit *Abbas*, hanc esse textus limitationem, quam sententiam probabilem reputant. *Antonius Burgos in repetitione in c. An si clerici sub num. 28. de Juditiis*; *Petrus Paulus Guazinus tract. morali ad defensionem animarum lib. 2. defens. 6. cap. 43. num.*

num. 22., Sanchez. opus. p. 1. lib. 3. c. unico dub. 32. num. 255., eamque probabilem post Abbatem dicit Turrianus loco allegato per Dianam p. 5. tract. 10. resol. 16., Alterius de censuris tom. 2., disp. 3. c. 2. col. 4. Vers. Respondendum est, id non est inficiandum, ubi loquitur sustinendo sententiam Abb., licet ipse *dispu.* 7. c. 2. col. 8. Vers. dubitatur an, cum vers. seqq., oppositum sequatur, & probabilem eam reputat Bonacina, dum contrarium probabilius dicit de censur. disput. 1. q. 2. p. 2. sub num. 3. post medium, alii qui pauci quos viderim approbarunt; Suarez. verò dicit num. 3. nominatim hanc Abbatis sententiam reiicit, tamquam gratuitam, cum text. in c. Is qui absolute loquitur absque ulla distinctione, & ita respondet comunior D.D. calculus; tum quia non est responsio ad casum aliquem particularem, ex quo colligi possit, text. loqui in casu medicinalis censuræ, & non pœnæ vindicativæ, sed loquitur in abstracto de suspensione simpliciter, undè comprehendit suspensionem utroque modo latam, ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, undè ex communi Doctorum sententia, ea distinctio habebit locum in eo, quod si feratur per

ARTICULUS XXIV.

An ad Exequutionem pœnæ ipso Jure impositæ pro Negligentia, & omissione, requiratur Declaratoria.

IN Jure multoties decernitur nullitas, aut privatio ipso Jure, propter negligentiam, & omissionem solemnitatis, vel alterius requisiti, hoc idem in contractibus, & testamentis, ut dum imponitur onus hæredi, vel legatario, quo neglecto, & omisso, inducitur in pœnam privatio hæreditatis, vel legati, vel etiam decernitur nullitas actus, ut in matrimonio omiſsa præſentia Parochi, & testium. *Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonii*, sic omiſsa solemnitate requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, alienatio nulla est; *extrav. Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienantur*; ita ut neque possessio, neque dominium transferatur. *Merlin. decis. 255. num. 4. Vers.*

modum censuræ, tunc prærequiratur monitio, & monitus non parendo sit negligens, & censura inodetur, si verò per modum pœnæ, tunc non prærequiratur monitio, nec locus est negligentia.

14 Quo verò ad alteram partem, quod in secundo casu, seu membro distinctionis appellatio suspendat censuram, suam habet probabilitatem ex auctoritate Doctorum eam affirmantium, ex ea ratione, quia sicuti ad suspensionem per modum pœnæ cessat præmonitio, quæ requiritur ad censuram, ita cessat ratio cur appellatio non suspendat, quia ad censuram per modum medicinæ appellatio non posset prodesse, nam si suspendere tur medicina, morbus ingravesceret, non sic pœna, cui rationi respondent omnes D.D. oppositam sequentes sententiam, quod ratio cur non suspendatur censura per appellationem est, quia sententia censuræ statim trahit secum executionem, ut habetur in c. *Pastoralis* §. *Verum quia de appellat. secus sententia pœnæ*. Verum cum hæc quæstio ecentrica sit à nostro instituto dimittamus eam canonicis, & Theologis de censuris tractantibus.

& licet, & idem res restituenda est Ecclesiæ, una cum fructibus *decis. 444. p. 4. tom. 2. recent. Turricella de rebus Ecclesiæ non alienandis c. 27. num. 8.*, & omisso examine, cum examinatore Synodalibus in concursu Parochialium, concursus, & examen nullum est; *Trid. sess. 24. c. 18. de reform.*, ita ex nostro Statuto Ferrariæ *lib. 2. rub. 91. de contractibus minor.*, contractus minorum decernitur ipso Jure nullus, si deficiant solemnitates à Statuto requisitæ. *Rota decis. 218. num. 11. p. 2. recent.*, idem disponitur de contractibus mulierum, sine Statutariis solemnitatibus celebratis *rub. 90.*

Modo quærimus, an qui omisit, & neglectit ea, quæ facere debebat, aut omittit onus imple.

implere, teneatur, ex se nulla expectata sententia declaratoria, ita ut tam in foro externo, quam interno teneatur, aut rem legatam, aut hæreditatem dimittere.

Dixi (nulla expectata sententia declaratoria) quia non est quæstio, de sententia imponente pœnam, aut nullitatem; quia cum imponatur ipso Jure, vel ipso facto, vel aliis verbis, idem significantibus, non est expectanda talis sententia, ipsum enim Jus imponit pœnam, & nullitatem; quæstio igitur solum est de declaratoria.

Quæ declaratoria adhuc dupliciter potest considerari; primò de declaratoria pœnæ, quæ scilicet declarat, pœnam esse in eo casu omissionis, & negligentia impositam; secundo de declaratoria delicti, seu omissionis, & negligentia; scilicet negligentiam esse incurſam, & omiſsum esse, quod erat faciendum.

1 Quò ad declaratoriam pœnæ, certum est non requiri, quia ipsum Jus declarat pœnam, quam imponit, pro tali omissione; ita, & quando testator imponit pœnam privationis hæreditatis, vel legati hæredi, vel legatario omittenti, & negligentia facere celebrare missas sibi impositas, aut aliud Onus, declarat pœnam, quam imponit pro tali omissione, & negligentia.

2 In alio casu pariter, certum est, non requiri declaratoriam, nempe quando omiſſio est de aliquo, quod sit de forma, vel de aliqua qualitate, quæ posita reddit habilem, quæ omiſſa, & neglecta, reddit inhabilem ad operandum, & hoc contigit in contrahente matrimonium sine præſentia Parochi, & testium, quorum omiſſio reddit contrahentes inhabiles ad contrahendum matrimonium, ita ut nulla expectata sententia declaratoria, teneatur separari; ita pariter omittens numerum examinatorum in concursu, juxta disposita in Concilio supra allegato, nulliter agit, ut neque declaratoria requiratur, eo quia examen cum tanto numero examinatorum Synodalium, est de forma, deficiente autem forma, corrumpit substantia facti, ex quo sequitur, quod si quis obtineret beneficium parochiale, absque examine, cum tanto numero examinatorum, teneretur non solum pro foro externo, sed etiam interno, illud dimittere, nulla expectata declaratoria.

3 Alii ponunt aliam regulam, nempe, tunc non esse expectandam declaratoriam, quan-

do nullitas, aut privatio, non habet rationem pœnæ, & tunc non habet rationem pœnæ, quando requiritur illud, quod est omiſſum, vel ad habilitandum, vel pro forma, ut explicant Doctores infra citandi.

4 Quando igitur privatio, aut nullitas inducitur, vel est imposita in pœnam, sive à lege, sive ab homine; sive à Statuto; tunc ex veriori, & communiori, Doctorum, sententia, requiritur declaratoria delicti, seu omissionis, & negligentia, licet dicat (ipso Jure) quod etiam militat, pro foro conscientia.

5 Diximus enim, in principio hujus tractatus, quod negligentia non præsumitur, sed esse probandam, quia sonat in delictum, quod non præsumitur; neque sufficit allegare simpliciter omissionem, quia ad negligentiam requiritur, quod quis teneatur facere, & possit, & sciens, ac volens omittat; necesse est ergo citare eum, de cujus negligentia agitur, qui si legitimam non habeat excusationem; tunc declarabitur negligens; maxime in foro externo.

6 Deinde, cum nemo teneatur ex se pœnam subire, (non enim delinquens tenetur pœnam in se exequi) sed solum teneatur pati, ratione naturali suadente, quod (nemo agat in se ipsum) natura enim abhorret à tali actione, & lex simpliciter loquens semper restringitur à ratione naturali. *Quamvis ff. de in Jus Vocando, Abbas in c. suggestum de appellat*; sequitur, quod neque pro foro interno, tenetur delinquens subire talem privationem, sed possit tuta conscientia expectare declaratoriam, & factum, hominis pœnam, exequentis. *Moneta de distribut. p. 3. quæst. 7. num. 60.*

7 Fundant communiter Doctores hanc resolutionem in c. *cum secundum de hæret. in 6.*, ubi, exponitur quod hæreticorum bona, sunt ipso Jure confiscata; non tenetur tamen hæreticus deferre, aut ex se cedere bona fisco, sed poterit expectare sententiam Judicis declaratoriæ, qui textus licet loquatur de delicto in committendo, tamen adhuc nostram resolutionem probat; tum quia vis stat in eo, quod pœna sit imposita ipso Jure, quia gravius est delictum in committendo, quam in omittendo; Vide quæ infra dicam de negligentia fisci, in secunda parte, & ita Communiter tenent Doctores allegati per *Garziam de beneficiis p. xi. cap. 10. num. 7. & seqq.*

8 Solet etiam disputari, utrum ex quo sit